



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias  
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||  
quatuor.||**

**Durandus <de Sancto Porciano>**

**Antverpiæ, 1567**

Quæstio secunda. Vtrum suffragia prosint existentibus in inferno.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

RESPONSIO. Sciendum est quod suffragia viuorum valere defunctis potest intelligi dupliciter. Vno modo quantum ad remissionem culpæ. Alio modo quantum ad diminutionem vel totalem solutionem pœnæ. Primo modo suffragia viuorum non possunt prodesse defunctis, quia culpa in qua aliquis decedit vel est mortalis vel venialis: si mortalis decedens in ea non est capax remissionis: talis enim cum sit simpliciter dånatus obstinatus est in malo ita vt non sit capax reuersionis ad Deum. Si verò culpa sit venialis, decedens in ea non indiget iuari, quia talis dimissio culpæ consistit in reordinatione voluntatis per quã bene displicet quod male placuit, talis autẽ reordinatio voluntatis est in decedentibus in gratia cum peccato veniali statim vt de corpore recesserunt: quia sicut dicitur fuit prius. q. præc. nu. 13. sicut grauitas & leuitas inclinãt ad determinatũ locum, sic finalis charitas inclinãt ad beatitudinem, sed decedentes in solo veniali habent finalem charitatem, ergo statim vt decesserũt inclinantur per eam ad finalem beatitudinẽ, propter quod & eius dilatio est eis tristabilis & pœnosa, ergo & causa dilationis, sed causa dilationis est non solũ pœna debita pro mortalibus prius cõmissis, sed etiã culpa venialis si quam tunc habear, ergo omnis talis culpa displicet, in qua displicentia reordinatur voluntas quæ in complacentia fuit deordinata.

Restat ergo q̄ suffragia solum profunt defunctis quantum ad diminutionem pœnæ vel totalem solutionem: & quantum ad hoc probabũtur duę conclusiones. Prima est quod suffragia viuorum profunt defunctis. Secunda quæ & quot sunt illa suffragia. Primum patet: quia plus valet apud Deum amor charitatis inter fideles q̄ valet apud homines amor ciuilis inter conciuies, sed amor ciuilis valet tantum apud homines q̄ vnus ex amore potest apud iudicẽ alium liberare a debito pœnæ vel rogãdo vel satisfaciendo, ergo amor charitatis inter fideles tantum valet apud Deum, q̄ vnus potest alium liberare vel in toto vel in parte a debito pœnæ orando vel satisfaciendo. Et etiã differentia est inter illas duas vias, quia prima (scilicet via orationis) impetrat remissionem pœnæ ex sola liberalitate Dei qui oratur, sed secunda. s. via satisfationis, impetrat idem per modum meriti quale meritũ potest esse hominis ad deum supposita diuina acceptatione, & vtroq; istorum modorum possunt viuũ prodesse defunctis, non autem defuncti viuũ nisi sint beati, nec vnus defunctus alteri, quia status merendi de congruo vel de condigno solum est in hac vita: & quod suffragia viuorum profunt hoc modo defunctis, confirmatur per autoritatem Aug. in libro de cura pro mortuis agenda, vbi allegat consuetudinem ecclesiæ dicens sic: Non parua est vniuersæ ecclesiæ quæ in hac consuetudine claret autoritas, vt in precibus sacerdotis quæ domino ad altare offeruntur locum suũ habeat commendario mortuorum. & hæc consuetudo ab ipsiõs Apostolis fumpit initium, vt dicit Damascenus in quodã sermone, & Dionysius in vltimo cap. cœlestis Hierarchiæ: & sic patet primum.

Quantum ad secundum sciendum est quod suffragia viuorum profunt defunctis ex duobus. Vnum est in quantum charitate vniuntur ad iniicem. Aliud est secundum quod intentio viuorum refertur ad mortuos: ratione primi illa opera viuorum nata sunt magis mortuis suffragari quæ maxime ad comunione[m] fidei & charitatis pertinet, & illud est eucharistiæ sacramentum quod est factamentum ecclesiasticæ vniõis continens illud in quo omnes fideles vniuntur, sicut membra sub vno capite. Post hoc præcipuus effectus charitatis videtur esse elemosynarum largitio, & ideo ponitur inter suffragia quæ ratione comunione[m] charitatis profunt defunctis, sed ex parte secundi (scilicet intentionis) directẽ ad mortuos præualeat oratio per quam orans directẽ recommendat illum pro quo orat: propter quod illa tria, scilicet oblatio sacrificii altaris, & elemosynæ, & oratio tam publica quã priuata sunt principalia suffragia quibus defunctorum animæ releuantur, quantum omnia alia bona quæ pro eis fierent eis valere credenda sint.

AD primum arg. dicendum q̄ non est simile de malis viuorum & de bonis, quia auferre alicui quod debetur repugnat iustitiæ, sed dare aliquid quod sibi non debetur non est iustitiæ contrariũ sed est liberalitatis, & virtus nõ

contrariatur virtuti, & ideo si quis nolens puniretur pro peccato alterius auferretur ipsi aliquid debitum, cum punitiõ sit ablatio alicuius cõuenientis, & sic esset iniustum: sed quando cõfertur ei aliquid ex facto alterius fit ei gratia propter quod primum non est apud Deum qui nihil iniuste agit, sed secundum in quantum ex gratia acceptat orationem viuũ pro defuncto vel satisfationem.

Ad secundum dicendum quod valor vnus suffragii est vnus in vno genere, sed non simpliciter, valet enim vno modo quatenus est bonus & voluntarius, & sic valet soli operanti qui ex illo dicitur bonus & laudabilis, & ob hoc acceptatur vt dignus vita æterna: & per hũc modum actus vnus non potest valere alteri, quia ex actu vnus alius nõ redditur bonus nec commendabilis. Alio modo valet quatenus est pœnalis, & sic valet per modum satisfationis, & sic potest valere vel operanti vel alii si fiat pro eo. Si tamen tale opus est æquatum reatui alterius pro quo fit, tunc satisfactio tantum pro eo & non pro satisfaciẽte, quia pœna quæ æquatur reatui vnus nõ æquatur reatui duorum. Satisfactio autem cum sit actus iustitiæ consistit in quadã æqualitate.

Ad tertium dicendum est q̄ inter suffragia quæ sũt per peccatores est distinguendum, quia si illud suffragium sit sacrificium altaris, tãtum valet si offeratur per bonum sacerdotem sicut per malũ, illud enim quod habet efficaciam ex opere operato non vitiat per demeritũ operantis, sed tale est sacrificium altaris, quare & c. Si verò sit oratio aut est publica aut priuata, si publica valet, licet fiat per malum ministrum, quia oratio non inicitur meritis personæ sed meritis ecclesiæ quæ vna & eadem est qualiscunq; sit minister: puto tamen q̄ plus valet quando fit a bono ministro, quia cum generalibus meritis ecclesiæ cõcurrit deuotio specialis ministri, propter quod missa quæ non solum includit sacrificium, sed orationes præcedentes & sequentes plus valet cum dicitur a iusto sacerdote quã a peccatore. Si autem fit oratio priuata sic non videtur valere quando fit a malo ministro, nec facienti ad meritum de condigno, nec ei pro quo fit ad suffragium: & sic est in relligendum dictum Gregorii. Si autem illud suffragium sit elemosyna, sic potest valere per accidens, sed non per se, per se non, propter statum dantis: per accidens tamen valet tam danti quã illi pro quo datur in quantum bonus cui datur orat pro vtroque.

#### QVÆSTIO SECUNDA.

Vtrum suffragia profunt existentibus in inferno.

Secundò queritur vtrum suffragia profunt existentibus in inferno. Et videtur quod sic, quia beatus Aug. dicit, & habetur in litera q̄ quibus profunt suffragia ad hoc profunt vt plena sit remissio vel tolerabilior sit eorũ damnatio, sed damnati non dicuntur nisi illi qui sunt in inferno, ergo suffragia ecclesiæ profunt illis.

Item sicut se habent beati ad gloriam, sic damnati ad pœnam, sed beatis saltem vsq; ad diem iudicii possunt prodesse suffragia ecclesiæ ad gloriam augmentandam, ergo damnatis possunt prodesse ad pœnam minuendam. Minor probatur per illud quod dicit Gregorius in collecta: sicut sanctis tuis profunt ad gloriam, itã nobis proficiant ad medelam.

Item Damasc. recitat in quodam sermone, quod Traianus qui per multos annos fuerat in inferno, quia multorum martyrum necem amaram instituit, ad preces Greg. veniam consecutus est, & caput cuiusdam sacerdotis gentilis dixit Machario se & alios iuari precibus Macharii, vt dicit idem Damasc. & habetur similiter in vitis Patrum ergo videtur quod damnati in inferno possint per orationes sanctorum iuari.

IN contrarium est, quia in inferno nulla est redemptio secundum quod dicitur Iob. 7. qui descendit ad infernos non ascendet nec reuertetur vitã in domum suam. Et Dionysius dicit. 87. cap. ecclesiasticæ Hierarchiæ quod summus sacerdos pro immundis non orat, quia in hoc auerteretur a diuino ordine, vbi dicit commẽtator quod pro peccatoribus non orat remissionem, quia non audiretur pro illis, igitur suffragia ecclesiæ non profunt damnatis.

In. 2. d. 27. q. 2  
 & in. 3. d. 20.  
 q. 2. & sup.  
 d. 15. q. 1.

RESPONSI O. Quae sit ista non est dubia pro tempore quo dānati erūt in inferno post generale iudiciū quia pro tunc nō fiēt aliqua suffragia quae possint quoscūq; iuuare, sed finē habebūt ciuitates duae, vna Christi, altera diaboli (scilicet paradīsus & infernus) sed solū dubia est de his quae sunt in inferno ante diem iudicii.

De quibus quidā dicunt q̄ aliqui eorum iuuantur per suffragia viuorū, non tamen omnes. Distinguit enim de mortuis iuxta sententiam beati Aug. in Enechiri. Quidam enim eorū sunt valde boni, alii valde mali, alii mediocriter boni, & alii mediocriter mali: pro valde bonis non est orandum, quia non indigēt sicut sunt beati. Vnde Aug. In iuriā facit martyri qui pro martyre orat. & idem habetur extra de celebratione missarum, ea, cum Marthe. Item nec valde malis profunt suffragia, sed mediocriter bonis profunt vt citius liberētur ab igne purgatorio: mediocriter malis profunt ad hoc vt minus puniantur in inferno a quo tamen nunquam liberabuntur.

Haec est sententia aliquorū Iuristarum quae expressē ponitur in glosa. 1. quae ff. de super illud cap. tempus. Et arguunt isti cōtra seipos sic. pone quod aliquis det elemosynam pro eo qui decessit in mortali peccato qui secundū eos est mediocriter malus, talis elemosyna prodest ei ad diminutionem poenae: aliquid ergo de poena eius est sublatum, ponatur q̄ centesima pars, tunc si dentur tales centum elemosynae tota poena erit dimissa & ille totaliter liberatus quod ipsi negant. Ad hoc respondent dicentes, quod si prima elemosyna tollat centesimam partem poenae, secunda tollat tantam poenam non in quantitate sed in proportione, & sic ibidem semper aliquid remanebit de poena, sicut in diuisione contingit, aliquid semper remanet diuidendum cum diuisio non sit semper in partes eiusdem quantitatis sed eiusdem proportionis.

Quicquid sit de conclusione de qua postea dicitur, solutio tamen ad obiectionē nulla est. Primo, quia nō est aliqua ratio, quare secunda elemosyna si sit aequalis valoris cū prima & ex aequali deuotione data diminuat minus de poena q̄ prima: & ideo fiet diminutio poenae secundū aequalitatem quantitatis, prout in talibus possumus loqui, & non secundū equalitatem proportionis. Secundo, quia si diminutio poenae fieret secundū partes eiusdem proportionis quemadmodū diuisio lineae adhuc sequeretur idē, quia diuisio lineae tantum potest procedere quod perueniat ad partē lineae insensibilem, ergo similiter tot elemosynae poterūt dari pro damnatis quod peruenietur ad partem insensibilem vel imperceptibilem: sed talis poena non est poena, cum omnis poena sequatur cognitionem, ergo nullo modo potest dici quod poena damnatorum potest minui per suffragia quin sequatur quod possit tolli totaliter, quod isti negant.

Alii tamen hoc concedunt vt Praepositus & eius sequaces qui dixerunt q̄ damnati per suffragia ecclesiae possunt totaliter fieri immunes a poena vsq; ad diem iudicii, sed post diem iudicii resumptis corporibus detrudentur in ignem eternum sine spe cuiuscūq; veniae. Istud autem cum non probetur, eadem facilitate potest contemni quae dicitur. Ipsū etiam dictum est valde irrationabile, quia plus debet valere vniciusq; illud quod ipse facit pro seipso dum viuit vel alius pro ipso quā illud quod facit scilicet viuens pro mortuo, sed id quod facit viuens in peccato mortali de quo non poenitet nec poenitere proponit, aut quod facit alius pro ipso nihil omnino valet ad diminutionem poenae tali peccato debita, quāuis possit valere ad hoc vt talis disponatur ad poenitendum de illo peccato, ergo fortiori ratione illud quod faciunt viuētes pro mortuis damnatis qui de peccatis suis non poenitent nec poenitere proponunt, sed in eis obstinati sunt nō prodest eis ad aliquam poenae diminutionē, & absq; dubio contra omnē iustitiam & rationē videtur esse q̄ impoenitenti persuerati in impoenitentia remittatur aliquid de poena debita.

Dicendum est ergo q̄ suffragia ecclesiae nullo modo profunt dānatis, cuius ratio licet statim assignata sit, alia tamen potest adduci: quia suffragia vnus profunt alteri quatenus sunt mēbra vnus corporis, sed dānati qui iam obstinati sunt in malo iam nō sunt mēbra corporis ecclesiae, cum sint p̄cisū irreuocabiliter per finalem sententiam, ergo suffragia ecclesiae vel cuiuscūq; membri de ecclesia non

possunt eis prodesse. Nec valet illud in quo Iuristae fundāt se, quia illa distinctio beati Aug. licet sit quadrimembris, quoad vocem, est tamen solum trimembris quoad rem: mediocriter enim boni & mediocriter mali idē sunt, scilicet illi qui decessit in gratia cum peccato veniali vel cum debito poenae pro peccatis mortalibus de quibus statim ante mortē poenituerunt. Et q̄ ita sit probatur sic: quia mediocriter bonus vel omnino non est malus, vel est valde malus, vel est mediocriter malus: non potest dici q̄ omnino non sit malus ita quod nihil malitiae habeat nec secundum actū nec secundum reatum, quia talis quādo decessit statim euolat ad gloriā, quia non habet culpā secundum actū nec reatum poenae debita: qui autē statim euolat ad cōlum est valde bonus & non mediocriter bonus, nec potest dici q̄ sit valde malus, quia valde malis secundum istos non profunt suffragia, profunt autē mediocriter bonis, igitur mediocriter boni nō sunt valde mali nec omnino mali, vt probatum est, ergo sunt mediocriter mali. Simili modo potest probari quod mediocriter mali sunt mediocriter boni, quia mediocriter malus aut omnino nihil habet de bonitate, aut est valde bonus aut est mediocriter bonus: non potest dici q̄ nihil habeat de bonitate, quia sic esset valde malus, cū malū non sit priuatio boni, & ideo valde malus est qui nihil boni moralis vel meritōrii habet: isti etiā mediocriter malos dicunt esse illos qui fidē habuerunt, sed alia peccata mortalia cōmiserunt, licet non maxima nec enormissima, igitur mediocriter mali nō omnino nihil habēt de bonitate. Nec potest dici q̄ sint valde boni, quia illi nō indigēt suffragiis, mediocriter autē mali indigēt. Relinquitur ergo q̄ mediocriter mali sint mediocriter boni & eōuerso, vnde & beatus Aug. vtriusq; idē attribuit. s. q̄ possint iuuari suffragiis viuorū.

Magis autem absurdum est quod ipsi dicūt per valde malos illos intelligi qui fidem nō habuerunt. Constat enim quod paruuli decedentes in solo originali non habuerunt fidem, & tamen absurdū est dicere eos esse magis malos quā sint damnati qui fidem habuerunt, & multa peccata mortalia habuerunt & commiserunt: quia cū poena correspondeat culpae, ille est magis malus cui debetur poena damni & poena sensus, quā ille cui debetur poena damni tantum, sed damnatis fidelibus debetur poena damni & poena sensus, decedentibus verō solum in originali non debetur nisi poena damni quae secundum August. est mitissima omnium poenarum, ergo fideles damnati sunt magis mali quā decedentes solum in originali.

Quod si quis dicat q̄ per valde malos intelligūt non omnes infideles, sed solū adulti qui cum infidelitate sua multa peccata mortalia cōmiserunt: igitur decedentes in solo originali non sunt valde mali, sed non valde malis profunt suffragia secundū Aug. ergo talibus debēt suffragia ecclesiae prodesse. Istud autē est falsum, quia cum poena eorum non sit nisi carentia visionis beatae, quae carentia non potest minui aliquo modo nisi aliquid oppositae visionis eis conferatur, quia priuatio non tollitur nisi per habitum, sequeretur quod si iuuarentur per aliquod suffragium, quod per illud cōferretur eis aliquid visionis beatae, & sic vnico suffragio expediretur de inferno quod est erroneum, cum nec per vnū suffragium nec per multa possint a limbo liberari vel diuinam visionem pertinere. Intentio ergo beati Aug. est quod illi soli sunt mediocriter boni & mediocriter mali, qui sine peccato mortali decedunt, sed tamen habent vel peccata venialia vel sunt debitores poenae pro peccatis mortalibus de quibus ante mortem poenituerunt, & istis solis profunt suffragia & nō damnatis in inferno: & quod haec sit intentio Augustini patet per illud quod dicit in littera, quod qui sine fide operante per dilectionem eiusq; sacramentis de corpore exierunt, frustra illis a suis huiusmodi pietatis officia impenduntur. Constat autem quod omnes qui decedunt in peccato mortali, decedunt absq; fide operante per dilectionem, ergo talibus suffragia non profunt secundum Aug. Ad idem est quod scripsit Gregorius Bonifacio Archiepiscopo vbi dicit, quod pro impiis quamuis Christiani fuerint tale quid, scilicet oblationes & suffragia facere non licebit: liceret autem si talia suffragia possent eis prodesse, ergo & cetera. Idem etiam dicit. 14. moralium sic: Sancti de his vtique quos aeterno iam damnatos sup-  
plicio

placio cognouerunt, ante illum iudicis iusti conspectum orationis suae meritum quasiari refugium.

13 Ad primum arg. in oppositum dicendum, quod ibi accipitur damnatio largè pro quacumq; punitione, vt sic includat etiam penam purgatorii: dicitur etiam aliquis quondam damnatus ad certam penam pecuniariam soluendam vel ad aliquod supplicium sustinendum, quauis talis damnatio non sit ad mortem.

14 Ad secundum dicendum quod non est simile de damnatis & beatis, quia beati bene participant cum viuèntibus in charitate in qua fundatur valor suffragiorum, sed existentes in inferno à tali communicatione præclusi sunt, & iterum quantum beati de bonis quae uiuentes faciunt laetentur, & sic aliquid gloriae accidentaliter eis accrescat, illud tamen non est propter aliquem fructum suffragii quem percipiunt, sed propter perfectam charitatem quam habent, per quam congaudent omni homini beato.

15 Ad tertium dicendum quod aut Traianus fuit vitae miraculose restitutus, & tunc remissionem peccatorum consecutus est, nec prius erat sententia finali dānatus, sed conditionaliter. Vel dicendum quod illud fuit singulare priuilegium diuinae gratiae, quod non est trahendum ad consequentiam, quia de lege communi fit oppositum. Ad illud de Machario, dicendum quod non aliter iuabatur damnari per preces Macharii, vt ibidem dicitur, nisi quia mutuo se videbant in tormentis, de hoc non poterant habere verum gaudium nisi falsum & phantasticum, sicut solatium miserorum est socios videre in pœna, sicut daemones gaudere dicuntur quando homines ad peccata pertrahunt: pœna tamen inflicta tam hominibus damnatis quam daemionibus in nullo minuitur.

### QUESTIO TERTIA.

Vtrum suffragia facta pro aliquo ipsi soli valeant, & non aliis pro quibus non fiunt.

**T**ertio quaeritur vtrum suffragia facta pro aliquo ipsi soli valeant, & non aliis pro quibus non fiunt. Et videtur quod nō, quia in litera dicitur ex verbis Aug. quod suffragia profunt illis mortuis qui cum viuerent meruerunt vt talia possent eis prodesse post mortem, sed multi pro quibus suffragia non fiunt magis meruerunt vt suffragia possent eis post mortem prodesse quā meruerunt multi pro quibus suffragia fiunt, ergo videtur quod suffragia magis profunt aliquibus pro quibus non fiunt, quā illis pro quibus fiunt.

2 Item spiritualia sunt magis communicabilia quā corporalia, sed aliqua corporalia exhibita pro aliquo specialiter, tantum vel magis profunt aliis pro quibus nō exhibentur (sicut lectio quae legitur pro aliquo specialiter prodest non solum illi, sed omnibus audientibus, & magis illis qui habent meliorem intellectum. Similiter lumē positum in mensa ad reuerentiam alicuius prodest omnibus astantibus & magis illis qui habent meliores oculos) ergo fortiori ratione suffragia quae sunt quaedam spiritualia profunt nō solum illis pro quibus fiunt, sed omnibus aliis qui sunt capaces suffragiorum, & magis illis qui sunt melius dispositi.

3 Item Hieronymus dicit, quotiens pro centum animabus psalmus vel missa cantatur, tantum prodest cuilibet quantum si pro quolibet caneretur, sed missa vel psalmus non amittit valorem suum per hoc quod pro vno specialiter dicitur, ergo nō solum prodest illi pro quo dicitur, sed pluribus aliis.

4 IN contrarium arguitur, quia nihil fit frustra in ecclesia, sed si suffragia facta specialiter pro aliquo tantum prodesse aliis quantum illi pro quo fiunt frustra fierent pro aliquo specialiter, & tamen fiunt secundum consuetudinem ecclesiae, ergo &c.

5 **R E S P O N S I O.** Circa quaestionem istam sunt tres modi dicendi, quorum duo primi sunt ad inuicem oppositi, tertius autem nititur concordare vtrunq;. Primus modus est, quod suffragia facta pro aliquo specialiter, non solum valent ei, sed etiam aliis, & plus illis qui magis sunt dispositi ad suscipiendum fructum suffragii: & rationes huius opinionis hōstrae sunt in arguendo ad quaestionem.

6 Secundus modus est quod suffragia solum profunt illis pro quibus fiunt & non aliis. Et ratio huius est duplex. Prima est, quia iustitia humana exēplata est à diuina

sed secundum iustitiam humanā si aliquis soluar debitorum pro aliquo alio, ille solus liberatur pro quo debitum soluitur & nullus alius, ergo secundum iustitiam diuinā ille pro quo fit suffragium ad soluendum debitum pœnae solus liberatur & non alius, ergo illi soli, & nulli alii prodest. Secunda est, quia sicut satisfacit viuens pro viuo ita viuens pro mortuo, sed quando viuens satisfacit pro viuo satisfactio illa solum prodest illi pro quo fit, ergo similiter quando viuens satisfacit pro mortuo, satisfactio solum prodest illi pro quo fit & non aliis, ergo &c.

7 Tertius modus concordans vtrunq; est talis, quod valor suffragiorum est duplex. Vnus est gaudium vel consolatio quā habent omnes existentes in charitate de aliquo bono opere: quia charitas congaudent omni veritati, vt dicitur. 1. Cor. 13. & sic suffragium plus valet illi qui plus habet de charitate, dato quod pro eo non fiat, quia ratione maioris charitatis magis congaudet. Alius valor est per modum satisfactionis & recompensationis alicuius pœnae, & sic suffragium nō valet nisi illi ad quem applicatur per intentionem satisfaciens, quia fructus alicuius operis cuius operans est dominus & qui totus cederet in utilitatem operantis, nisi per eius intentionem in alium transferretur nō prodest nisi illi in quem operans ipsum transfert, sed opus suffragii est huiusmodi, quia procedit ex libero arbitrio per quod homo est dominus suorum actuum: totus etiam eius fructus esset operantis nisi in alium ipsum transferretur, ergo tale suffragium non prodest ad satisfactionem pœnae nisi illi cui applicatur per intentionem facientis.

8 Et hic modus nihil cōtinet dubium nisi vnum, hoc scilicet, quod ille qui est in maiori charitate plus gaudeat de suffragio facto pro aliquo quā gaudeat ille pro quo fit, hoc enim vno modo est verū & alio modo est falsum: suffragium enim est bonum faciētis inquantū est actus eius bonus reddens ipsum bonum & laudabilem & Deo acceptum, & est bonū eius pro quo fit inquantum pro eo satis facit. Quantum ad primam bonitatem plus gaudet de suffragio ille qui est in maiori charitate quā ille pro quo fit, quia cum illo modo suffragium nō sit magis bonū vnus deficiat quā alterius, sed sit bonum solius facientis, de eo tanquam de aequali bono plus gaudet ille qui plus habet de charitate, sed quantum ad secundum valorem, cum ille valor sit bonum illius solus pro quo fit, & vnicuique est magis amabile bonū proprium quā alienum, ideo quantum ad illam considerationem plus gaudet de suffragio illo pro quo fit existēs in minori charitate quā ille pro quo non fit dato quod ille sit in maiori charitate.

9 **A D** primum argu. in oppositum dicendum quod dictum Augustini est intelligendum conditionaliter, scilicet quod suffragia illis profunt post mortem qui meruerunt in hac vita quod eis possent prodesse, si tamē pro eis fiant: si autem non fiant pro eis, sed pro aliis non oportet quod eis magis profint quāuis magis meruerunt, quia nō meruerunt quod eis prodesse nisi pro eis fierent.

10 Ad secundum dicendum quod lumē corporale & vox doctoris agunt ex necessitate naturae & non secundum intentionem applicantis lumē vel proferentis vocē, & ideo quilibet praesens fructum vtriusq; recipit plus vel minus secundum quod est magis vel minus dispositus, & non solum ille pro quo talia applicatur vel ponuntur, sed valor suffragii quantum ad expiationem pœnae nō transfertur in aliquem nisi secundum quod applicatur per intentionem operantis, & ideo solum illi prodest cui applicatur. Et si dicitur quod pauperes pro quibus non fiunt talia suffragia secundum hoc sunt deterioris conditionis quā diuites pro quibus dicta suffragia fiunt, quod videtur esse contra illud Luc. 6. beati pauperes quoniam vestrum est regnum caelorum. Dicendum quod nihil prohibet diuites quantum ad hoc esse meliores conditionis quā pauperes, sed simpliciter pauperes propter Christum sunt melioris conditionis, tum propter maius meritum vitae aeternae quod incomparabiliter excedit expiationem pœnae, tum quia caminus paupertatis hic eos ieiunos purgat, quāuis multo tempore quā quocumq; pœna purgatorii purget diuites etiam pauco tempore.

11 Ad tertium dicitur quod illud Hieron. potest intelligi quantum ad effectum acceptationis & congratulationis seu